



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XI [i.e. X.]. Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

B. Francus Dæmonem in fæminæ specie sibi infestum fugavit, ob quod ei Deipara Angelis comitata apparuit, eique arbusculam aureo flore germinantem porrigens, ut bene pergeret, coronam in cælo benè meritis destinatam accepturus, hortabatur. *Ex vita.* Semper lilia sunt coronata.

B. France ora pro me Deiparam, ut hæc mihi unica sit cura, quomodo semper in virtute proficere laborem, de die in diem perfectior Deoque gravior esse coner, ut sic pro immarcescibili gloriæ corona me vitâ immaculatâ aptum reddere satagam. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum &c. f. 190.

Ad quod impetrandum: rosarium Marianum oraturus, quoties Mariæ Nomen occurrer, toties sine labe originali conceptam dicam.

Unde sordes in domo, in qua nullus habitator terræ accessit, solus ad eam ejus fabricator & Dominus venit. *S. Aug. l. 9. con. Nar.*

Quæstio: An saltem debitum culpæ originalis Deipara contraxerit? *v. Vega Theol. Mar.*